

totius rerum materialium creationis est opus perfectissimum. Ergo haec devotio propter objecti perfectionem inter excellentissimas est recensenda. *Antec.* prob. a) inter opera creationis primum locum tenet homo et inter homines Christus, qui dicitur (1): *speciosus forma prae filiis hominum*. Sed inter membra corporis humani nobilissimum est Cor, dicit enim Dyonisius (2) «cor symbolum est divinae ac deiformis vitae, quia vitalem vim suam in omnia corporis membra dispergit.» Ergo.

b) Quia efformatum ex purissimo intemeratoque sanguine B. Virginis Mariae, quae tota pulchra est, nam, ut dicit V. Beda in Luc.: «non enim carnem de nihilo, non aliunde, sed materna traxit ex carne Christus conceptus ex utero virginali.»

c) Quia efformatum ab Spiritu Sancto juxta illud (3): *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Sed carni Christi propterea quod fuerit ab Spiritu Sancto efformata, excellentissimam dandam esse perfectionem, summa animorum consensione concedunt auctores (4). Ergo idem praedicandum est de Corde illo, quod est sanctuarium Spiritus Sancti; sui amoris erga homines quasi organum sensibile, ex quo tamquam a centro illius divinae flammae, quae Apostolos accendit, radii in universum genus humanum propagari debebant.

d) Quia est Cor Hominis-Dei seu Christi a Deo electi et predestinati ante omnem et supra omnem creaturam juxta Paulum ad Rom. (5): *Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia*. Et ad Coloss. (6): *pacificans per sanguinem crucis ejus sive quae in terris sive quae in coelis sunt*.

2.º Cor Christi est fons perennis pretiosissimi Sanguinis cujus virtute universum genus humanum redemptum est. Sed tale munus reddit SS. Cor nobilissimum inter membra Christi cum nulli alii competat. Ergo... *Min.* prob. a) Ex infinito pretio SSI. Sanguinis Verbo uniti (7): *Non contemptibilibus auro vel argento redempti... sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati*.

b) Ex eo quod principaliter per septem Sanguinis divini effusiones, nempe per circumcisionem, agoniam, flagellationem, spinarum coronationem, viam crucis, crucifixionem ac tandem lateris et Cordis transfixionem exhaustum et divinum Cor ad nostram salutem.

c) Ex eo quod in SS. Eucharistia praebeat SS. Cor, vitae supernaturalis dulcissimum poculum juxta S. Joannem (8): *Sanguis*

(1) Ps. XLI, 3.—(2) De *Caelest. hierarch.* c. 15.—(3) Luc. I, 35.—(4) V. Suar. De *Incar.* D. 52, sect. 2, n. 4.—(5) XI, 36.—(6) XI, 20.—(7) S. Petrus, I.ª XVIII, 19.—(8) VI, 56.

*meus vere est potus*. S. Joannes Chrysost. (1) ait: «Sanguis (Christi) in cratere in nostram purificationem ex immaculato Corde effusus est... quasi divino et impolluto lateri admotis labiis, sic salutari Sanguine participemus.»

3.º SS. Cor fuit lancea vulneratum, ut tradunt SS. Patres, S. Bernardus (2) «Foderunt non solum manus, sed et pedes latus quoque et SSI. Cordis intima furoris lancea perforaverunt.» Praeterea expresse id docet Pius IX (3): «Ecquis tam durus et ferreus sit, quin moveatur ad redamandum Cor illud suavissimum... transfixum ac vulneratum lancea?» Sed sub vulnere Cordis Christi plurima ac sublimia mysteria contineri communis est Patrum et theologorum in Ecclesia sententia. Ergo... Sex leguntur ad vulnus lateris referri mysteria: a) Ecclesiae institutio et formatio, ad modum quo Eva ex latere dormientis Adae formata est. b) Mysterium divinitatis et humanitatis cum Verbo inexplicabili unione copulatae. c) Ecclesiae redemptio et ablutio. d) Sacramentorum institutio praesertim Baptismatis et Eucharistiae. e) Duplex baptisma aquae et sanguinis. f) Abundantia gratiae a Christo provenientis. Sed nequit non esse excellentissimus cultus, cujus objectum tot ac tanta mysteria veluti sub uno conspectu exhibet fidelium memoriae et venerationi. Ergo.

Merito igitur docuit S. R. Congregatio (4): «Sacri Cordis Jesu festum non versatur circa peculiare mysterium cujus specialis solemnitas commemoratio facta non fuerit in statutis ab Ecclesia diebus, sed est compendium aliarum solemnitatum, in quibus diversa celebrantur mysteria, et memoria recolitur immensae illius charitatis, qua Verbum caro factum est pro nostra redemptione et salute, sacramentum altaris instituit, peccata nostra portavit, seseque divino Patri in cruce moriens obtulit hostiam et sacrificium.»

199. III.ª Pars. Ecclesiae fidelibus utilissimus. Illud cultus exercitium Ecclesiae fidelibus utilissimum et summe commendandum est: a) Quod suaviter fideles omnes ad vitam christianam perfecte agendam trahit: b) Quod praesentis aetatis repellendis malis aptissimum ab ipso Christo D. datum est: c) Quod tandem pignus est temporalis et aeternae felicitatis. Sed haec omnia bona, innumerabilis honestas (5), in omnibus rebus laetitia spiritalis, obveniunt exercitibus cultum SS. Cordis Jesu. Ergo.

*Min.* prob. quoad a) 1.º Ille cultus ad vitam perfectam fideles suaviter trahit qui homines Christo, *nobis via, veritas et vita* (6), arctius conjungit, et ad eum imitandum suaviter invitat, juxta

(1) Homil. de *poenit.* 9.—(2) De *passion. Domini.* c. 3.—(3) Brev. Beatif. B. Margaritae.—(4) 3 April. 1821.—(5) Sap. VII, 11, 12.—(6) Joann. XIV, 10.



illud Oseae (1): *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Sed talis est cultus SSi. Cordis Jesu. Ergo... *Min. prob.* quia finis hujus devotionis est excitare amorem, ex quo sequitur arctior conjunctio juxta illud S. Bonaventurae (2): «Tu »solus amabilis, tu solus desiderabilis animarum amator. Tu solus »me regas, tu solus me dirigas, tu solus cor meum tecum habeas »animarum zelator. In te solum quiescat cor meum. Cum impetu »ascendam ad te, centrum meum et regnum meum animarum Re- »demptor.» Sequitur et imitatio juxta D. Thomam (3) «Pro- »prium est amicorum eadem velle et in eodem tristari et gaudere.» Confirmatur ex Bta. Margarita, quae a Christo edocta dicit in suis scriptis (4): «Nescio ullum aliud devotionis exercitium in via spi- »rituali esse magis accommodatum, ut brevi tempore animae ad »altissimam perfectionem deducantur.»

2.º Quia exercitio hujus cultus proprius accedimus fonti nostro- rum meritorum, dicit enim idem S. Bonaventura (5): «Ta- »bernaculum continuum in latere; ibi loquar ad Cor ejus, et ab »ipso quod voluero impetrabo.» Sed juxta D. Thomam (6) «quanto enim aliquod receptivum est propinquius causae influenti, »tanto magis participat de influenza ipsius.» Ergo...

3.º Quia actus hujus cultus conformiter ad suum finem sunt prae- cipue actus charitatis et reparationis maxime meritorii; procedunt enim a charitate virtutum regina, quae ut nulla alia ad progredien- dum in virtutibus exstimulat. De dilectione Dei, ait Bernar- dus (7), «quo plus bibo, plus sitio, et eã saturari non possum, nec »ego nec aliquis diligens Christum. Ipsa, quo plus editur, plus »famem exauget, et quanto plus ipsa bibitur, plus sitim inacuit: »ipsam quam inhabitat mentem sic inebriat, ut nihil jam quaerat »vel diligat, nec diligere possit nec valeat, praeter eum, qui sic »mundum dilexit, ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis qui »credit et diligit illum non moriatur, sed vivat cum eo.» Ange- licus (8) praeludens hujus devotionis effectibus ait: «Sanguis, »quem effudit de Corde, testis est dilectionis maximae.» «Fudit san- »guinem de vulnere lateris et Cordis ut discipulos in fide dubios, et »alios multos in fide et bonae vitae stabilitate tentatos, et ideo fri- »gidos, quasi mortuos, calefaceret et revivificaret; et revivificatis »suo sanguine iter caeleste significaret; ut post ipsum ruenter cur- »rerent.»

Eadem *min. prob.* quoad b) 1.º Nostrae aetatis mala seu liberta-

(1) XI, 14.—(2) Stigm. amor. I, 3, c. 17.—(3) I, 2, Q. 28, a. 2.—(4) Vie et œuvr. tom. I, p. 289.—(5) Stigm. amor. c. 5.—(6) 3, Q. 7, a. 1.—(7) De coetu Domini.—(8) Opusc. (edit. Rom., 58; Paris., 51) De Venerab. Sacram. Altar. c. 27, 28.

tes uti vocant conscientiae, preli aliaeque perditionis ex eo potissi- mum originem ducunt, quod individua et nationes, sicut olim ju- daei, nolint Christum regnare super mundum; advenisse jam vi- dentur illa novissima tempora de quibus Christus (1): *Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Atqui ad iterum inflammanda corda hominum amore Christi nihil aptius cultu Ss. Cordis Jesu, ut ex proxime dictis constat. Ergo.

2.º Ex B. Margarita, quae a Domino audivit (2): «Haec devo- »tio ultimum est mei amoris argumentum, quo in hac nova aetate »christianos singulari beneficio prosequi exopto, atque in hac de- »votione eisdem exhibere objectum, quod pariter medium sit effi- »cacissimum ad amorem et solidum quidem amorem in hominibus »excitandum.»

3.º Ex Pio IX (3): «In tantis Ecclesiae civilisque societatis ca- »lamitatibus... omnium fidelium pietatem excitare existimavimus, »ut una nobiscum... semper confugiant ad D. N. Jesum-Chri- »stum... ejusque dulcissimum Cor flagrantissimae erga nos chari- »tatis victimam enixe jugiterque exorent, ut amoris sui vinculis »omnia ad se ipsum trahat, atque omnes homines sanctissimo suo »amore inflammati, secundum Cor ejus ambulent, eique Deo per »omnia placentes, in omni bono opere fructificantes,» et in *Brevi* ad Archiepisc. Parisiensem 31 Julii 1873 ait: «Spem ita- »que salutis illuxisse putavimus... cum deinde incendi didicimus »animos peculiari studio erga Ss. Cor Jesu:» et anno 1860 dixerat R. P. Julio Chevalier: «Ecclesia et Societas civilis non »aliam spem habent quam Cor D. N. Jesu-Christi.»

4.º Consonant concilia plurima Provincialia (4) inter quae Re- mense an. 1853, c. 10, ait: «Inter innumera quae Salvator noster »Jesus-Christus Sanctae Ecclesiae beneficia contulit, eximium sane »locum obtinet cultus SSi. Cordis, quem sub ea forma qua nunc »insignitur, ultimis hisce temporibus Sponsae suae inspiravit. Ubi- »cumque enim cultus ille inducitur, aut inductus viget, hic splen- »dere incipiunt amor divinae Eucharistiae, frequens ipsius visita- »tio... Jam vero per hos effectus ecquis non videat potentissimum »et maxime opportunum remedium iis exhibere malis, de quibus »maxime dolet piissima Mater Ecclesia, quod nempe multorum in »cordibus refriguerit charitas et a pluribus heu! christianis deserta »sacramenta sint? Quid quod, aetate hac nostra, in immensum »veluti creverint superbiae spiritus et inordinatus sui amor? At- »enim quomodo ista starent, si Cor illud coleretur de quo pronun- »tiavit Jesus ipse: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (5)?»

(1) Matth. XXIV, 12.—(2) Vie et œuvr. t. I, p. 289.—(3) Encycl. *Quanta cura*.—(4) V. Collect. Lacens. tom. IV, p. 172.—(5) Matth. XI 29.



Tarraconense (1) anno 38 saeculi proxime elapsi scribebat ad S. Pontificem Clementem XII. «Pastorali sollicitudini satagentes, qua custodire vigilias super gregem nostrum, Deique honorem tueri et augere jubemur, in Synodalem, sicut moris est celebritatem convenientes nihil magis animarum saluti divinoque honori consentaneum duximus quam pro extensione ecclesiastici cultus officii et Missae SSmi. Cordis D. N. Jesu-Christi ad haec Hispaniarum regna Sanctitatem vestram enixis precibus exorare.»

Eadem *min.* prob. quoad c) 1.º Ex actibus ad quos inducit, nempe cognitionis et amoris Jesu-Christi. Sed «beatitudo hujus vitae consistit in actibus intellectus et voluntatis, quibus aeterna felicitas vitae futurae maxime participatur» ait Suarez (2). Ergo.

2.º Concil. provinciale Tarraconense (l. c.): «Quid enim gratius et acceptius Deo nostro esse poterit quidque fidelibus magis proficuum quam quod Sacratissimum Cor Filii sui dilecti in quo sibi bene complacuit speciali cultu veneremur, qui cum hostiam et oblationem noluit corpus aptavit Filio suo, in quo Cor ejus offerretur Deo Patri hostia in odorem suavitatis? *Deus meus volui*, statim humana carne indutus clamavit ad Patrem Filius, *et legem tuam in medio Cordis mei.*»

3.º Ex promissis a Domino devotis sui SSmi. Cordis ut constat ex revelationibus Btae. Margaritae factis: 1.º Divinus Magister mihi spondit nullum eorum qui huic Cordi sese dedicaverint, periturum fore, et quoniam ipse omnium est benedictionum fons, eas copiose esse effusurum omnibus in locis ubi ipsius Cordis imago proposita venerationi fuerit (3).

II.º Promitto in excessu misericordiae et in meam fidem recipio, mei Cordis omnipotentem amorem concessurum fore omnibus, qui primis diebus veneris novem mensium subsequentium eucharistico pane refecti fuerint, gratiam poenitentiae finalis; ipsosque nec in peccato decessuros nec Sacramentis destitutos; sed me in hac ultima hora fore ipsorum asylum securissimum (4).

III.º Qui vero in hanc devotionem propagandam incubuerint, hi amicitiam et caelestes benedictiones hujus amabilis Cordis Jesu sibi comparabunt (5).

IV.º Neque permittet ullum perire qui huic SSmo. Cordi fuerit consecratus (6).

V.º Saeculares in hac amabili devotione omnia invenient auxilia ipsorum statui pernecessaria: in familiis pacem, in laboribus so-

(1) Col. Lac. tom. VI, p. 948.—(2) De ultim. fin. homin. D. 7, sec. 2, n. 3.—(3) Vie et Oeuvr. tom. 2, p. 64.—(4) Ibid. tom. 1, p. 291.—(5) Ibid. tom. 2, p. 189.—(6) Ibid. p. 199.

latium, caelestes benedictiones in suis negotiis, in adversis consolationem, in tota vita, maxime vero in ultimo vitae discrimine, refugium optatissimum (1).

VI.º Divinus meus Salvator mihi ostendit, eos qui in animarum salute procuranda laborant, vel induratissima corda commovendi gratiam habituros esse, uberrimumque fructum reportaturos; dummodo tenerrimo amore Sacratissimum Cor Jesu prosequantur (2).

VII.º Ille suavem ardentis charitatis unctionem effundet in communitates omnes, in quibus veneratio sui Cordis imagini deferatur, atque in illas, quae ipsius Cordis religionis significationem praestabunt, et sub praesidium speciale ipsius confugient (3).

VIII.º Sacerdotibus cultui divini Cordis amore et adoratione ferventer incumbentibus pollicetur: copiosam ardentis charitatis unctionem ipsorum verbis esse communicaturum cum gratis potentibus et efficacibus, quibus... corda induratissima vel obstinatorum peccatorum penetrabunt... ad hoc autem opus est, ut adnitantur ex hoc inexhausto fonte totius scientiae et charitatis sanctorum lumina depromere (l. c.). Hinc concil. Remense (4) ad Sacerdotes ait: «id sibi habeant alte animo infixum, illos nempe concionatores, qui huic devotioni exercendae et praedicandae sedulo incumbunt, movendorum animorum miranda vi atque arte pollere.» Et rectissime quidem, non enim *in aliquo alio* praeter Jesum *salus est* (5).

200. Obj. 1.º Dum totus Christus et singula ejus membra sunt eodem cultu laetiae digna, injuriosum videtur ad unum Cor sanctissimum adorationem referre: ergo superstitione non caret haec singularis SSi. Cordis adoratio.

Resp. Dist. *Antec.* Si referatur ad SS. Cor praecisive a toto; conc. Si non ita, sed ut ad partem in toto; neg. Adoratur, ut explicatum est in praenotatis pars in toto, ut totus seu persona adoretur. Ad rem P. Gallifet (6): «Itaque Cor Jesu non solitarie sumptum non separatum ab iis rebus, quibus indissolubili nexu sociatur, considerandum est; sed quatenus cum anima Jesu ejusdemque divina Persona rem unam quodammodo in ratione objecti constituit. Quae res adoranda plane atque divina, conflata scilicet ex Corde Jesu, ipsiusque anima, Filiique Dei Persona; adjunctis etiam gratis omnibus, caelestiumque charismatum thesauris, ac virtutibus omnibus, affectionibusque hujus sacrosancti Cordis propriis; ipsa est res, quae venerationi fidelium proponitur.»

Obj. 2.º S. Augustinus (7) ait: «Quam rem amamus in Christo? membra crucifixa? latus perforatum? an charitatem?»

(1) Ibid. p. 286.—(2) Ibid.—(3) Ibid. p. 68.—(4) Ibid. p. 286.—(5) Act. Apost. IV, 12.—(6) De cultu sacrosancti Cordis Dei et D. N. Jesu Christi. L. I, c. 4.—(7) In Ps. CXXVII.



»quando audimus quia passus est pro nobis quid amamus? charitas  
»amatur.» Ergo similiter Cor Jesu non absolute in se adoratur, sed  
solum charitas.

Resp. 1.<sup>o</sup> Explico sensum: charitas amatur, colitur, solum et  
exclusive; neg. Etiam ipsa membra instrumenta charitatis; conc.  
2.<sup>o</sup> conc. *antec.* neg. *conseq.* S. Augustinus ibi agit de mo-  
tivo cultus non vero de objecto immediato cultus in se ut nos.

Obj. 3.<sup>o</sup> Falsum est quod supponitur in probationibus, cor esse  
imaginem affectuum; nam talis imago potius reponi deberet in  
cerebro vel saltem in systemate nerveo, exploratum enim videtur  
pluribus e physiologis recentioribus in tali systemate residere or-  
ganum sensationum et motuum, qui a voluntate pendent. Sed cor  
non est nisi musculus, qui systemati sanguineo inservit. Ergo...

Resp. Neg. *antec.* Ad ejus probat. Resp. 1.<sup>o</sup> trans. totum neg.  
*conseq.* Nam cum apud omnes certissimum sit motus cardiacus  
animi affectionibus ac passionibus, praesertim si vividiores eae  
sint, ita subesse ut subito cor vel subsiliat laetitia, vel angatur  
moerore (ut exemplum insigne habemus in sudore sanguineo  
D. N. Jesu-Christi a pressura Divini Cordis orto), hinc apud omnes  
cor, sive sit organum appetitus sensitivi sive non, assumitur ut  
imago affectuum hominum, et hoc sufficit ut valeat argumentum.  
Non est ergo ratio cur salebrosam et minime devotam physiologiae  
quaestionem purae spirituali et caelesti devotioni S. S. Cordis mis-  
ceamus.

Resp. 2.<sup>o</sup> Nec saltem probabiliter, quod supponitur in probatione  
est verum; neg. cum P. Bucceroni (1): «E recentioribus etiam  
»doctissimos viros, non modo in theologis et philosophis disci-  
»plinis, verum etiam in naturalium rerum scientiis apprimè ver-  
»satos,» constat suffragium tulisse pro ea sententia, quae cor habet  
ut organum amoris et affectuum sensibilibus; etenim juxta phy-  
siologiam duplici systemate nerveo corpus humanum praeditum  
est, cerebro-spinali et ganglionari; quorum priore ad actus facul-  
tatum perceptivarum seu cognoscentium utatur, altero ad actus  
facultatum appetitivarum. Hinc cum cor systematis ganglionaris  
nervis, maxime plexu cardiaco sit involutum, fit ut per ipsius  
motus animi affectiones in totum corpus protendantur, quare  
moderna physiologia potius suadet quam prohibet cor esse orga-  
num sensibilibus affectionum. «Ea certe, prosequar cum Bucce-  
»roni (l. c.) omnium hominum ubique terrarum degentium  
»testimonio roboratur: apud omnes enim gentes cor semper habi-  
»tum est et habetur tamquam praecipua et propria amoris-sedes;  
»neque unquam quis arbitratus est *cerebro* se amare, ut recentiores

(1) Comment. de SS. Corde Jesu, VI, n. 14.

»illi volunt, sed *corde*. Ipso experimento, physiologicis aliis con-  
»siderationibus nunc omissis, communis haec omnium hominum  
»opinio persuadetur. Spiritualibus enim affectionibus et animam  
»disponunt et respondent sensibiles cordis affectiones. Animae vo-  
»luntate amore vel dolore affecta in praesentia vel absentia objecti  
»amati, aestuat ipsum quoque cor, vel mirum in modum compri-  
»mitur, angitur, torquetur. Idque locum habet non solum in  
»affectionibus naturalibus, verum etiam in supernaturalibus, ut  
»constat ex vita S. Philippi Nerii, S. Stanislai Kost-  
»kae, S. Theresiae, S. Gertrudis, aliorumque quam-  
»plurium; et ex ipsa fidelium pietate, apud quos inter caeteras  
»sanctorum reliquias cor pretiosissimum et carissimum habetur.  
»Quum ergo devotio haec sacratissimi Cordis Jesu Christi consti-  
»tuatur etiam in eo, quod Sacrosanctum illud Cor sedes et com-  
»principium fuerit sensibilibus amoris aliarumque sensibilibus af-  
»fectionum, et sic cooperator etiam suo modo fuerit sanctissimarum  
»affectionum ipsius animae Domini nostri Jesu-Christi, quibus pro  
»suo modulo respondebat; nihil profecto in medium profertur, quod  
»et communi hominum sententiae, et sapientum auctoritati, ipsi-  
»que rationi congruum probatumque non sit. Quare *rationabile*  
»obsequium nostrum est (1).»

#### THESIS XXXVI.

Crux vera Christi adoranda cultu latria re-  
spectivo: aliae autem cruces factae ad illius ima-  
ginem venerandae quoque sunt.

201. Nota: prima pars de fide est; secunda autem theologice  
certa; tertia etiam fide constat.

1.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> Reliquiae SS. sunt venerandae, ut statim di-  
cemus: ergo a fortiori Crux Domini, lancea, clavi, etc.

2.<sup>o</sup> Ex quo sacrum illud inventum fuit lignum veneratum est  
ab universali Ecclesia. Ergo. Nam Deus miraculis honoravit Crucis  
lignum, et teste Cyrillo, Hierosoly. tunc vivente (2),  
christianus populus ex toto orbe confluit ad Crucem adorandam.  
S. Chrysostomus (3) ait: «Tanta veneratione lignum illud  
»habetur, ut qui parum ex illo habere possunt, auro includant et  
»cervicibus imponant.»

3.<sup>o</sup> S. Hieronymus (4): «Illud praesepe, in quo infantulus

(1) Vid. Nilles, S. J. De rationibus fectorum SS. Cordis Jesu et puris-  
simi Cordis Mariae. PP. Martorell et Castellá, S. J. Theses de cultu  
sacratissimi Cordis Jesu, ubi breviter hic constricta, accurate, docte et pie evolu-  
ta reperies. — (2) Ep. ad *Constantin.* — (3) Homil. *Quod Christus sit Deus.* — (4) Ep.  
46, ad Marcellam, nn. 10, 12.



»vagiit, silentio magis quam infirmo sermone honorandum est...  
 »Ergo ne erit illa dies, quando nobis liceat speluncam Salvatoris  
 »intrare, in Sepulcro Domini flere..., Crucis deinde lignum lam-  
 »bere?» S. Damascenus (1) «Quamquam omnis Christi actio  
 »ac miraculorum editio praeclara et divina ac mirabilis est; nihil  
 »tamen ex omnibus, quod tantam admirationem excitet, atque  
 »eximia ipsius Crux... Hoc itaque ingentis sane pretii lignum ac  
 »venerandum, in quo Christus se ipsum sacrificii causa pro nobis  
 »obtulit, ut ex sancti corporis et sanguinis contactu sanctificatum,  
 »optimo jure adorari debet, clavique item; et lancea et indumenta,  
 »ac sacra ipsius tabernacula, hoc est, praesepe, antrum, Golgota,  
 »Crux, vivificum sepulcrum, aliaque hujus generis.»

202. II.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> Eo cultu est adoranda Crux quem excellentia, cujus gratia colitur, exigit. Atqui colitur ob excellentiam divinam, scil., quia est Crux Christi Dei veri: ergo.

2.<sup>o</sup> Relatio intrinsece constituitur non solo subjecto, sed et fundamento et termino. Sed in respectu Crucis ad Salvatorem fundamentum est quid divinum, contactus, nempe, Filii Dei; terminus autem ipse Christus Deus: ergo relatio Crucis ad Christum est quid divinum, ideoque, cum propter hunc respectum adoretur, adoranda cultu latria respectivo.

203. III.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> Imagines Christi, B. Virginis et Sanctorum adorandae sunt, ut statim dicemus. Sed Cruces omnes imagines sunt ipsius Christi in vera Cruce pendentis: ergo colendae respective sunt eo cultu quo ipse Christus, et vera Crux colitur.

2.<sup>o</sup> Ea quae ad Dei cultum consecrantur debent religiosa veneratione coli, sed cruces sive sculptae, sive depictae, sive per actiones aliquas signatae, ad Dei cultum ab Ecclesia ordinantur; ergo venerandae sunt.

3.<sup>o</sup> Conc. Oecum. VII, Nicaenum II, ait: «Figurae pretiosae et vivificae Crucis et sanctis evangelii et reliquis sacris monumentis, incensurum et luminum oblatio ad horum honorificentiam exhibeatur, quemadmodum et antiquis pia consuetudinis erat.» Tertullianus (2) «Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum et exitum... quaecumque nos conversatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus.»

204. Obj. 1.<sup>o</sup> Pius filius non cum honore sed horrore conspicit instrumentum paterni supplicii. Ergo impius videtur Crucis cultus.

Resp. Dist. *antec.* Si fuerit instrumentum supplicii solum et exclusive; conc. Si fuerit simul instrumentum triumphi, exaltationis et summi amoris signum ac Dei glorificatio, nego.

(1) L. 4, c. 12.—(2) L. De Coron. milit. c. 3.

Obj. 2.<sup>o</sup> Si aliae colendae sint Cruces, ergo et clavi omnes et praesepia et coronae, etc. Sed hoc absurde diceretur: ergo et primum.

Resp. 1.<sup>o</sup> Nego paritatem: cruces sunt ad cultum destinatae; alia vero, ut clavi, praesepia, etc., ad usus adhibentur profanos, ideoque nihil sacri prae se ferunt.

Resp. 2.<sup>o</sup> Clavi, praesepia, etc., colenda sunt si ad praesepe Salvatoris, vel sacros clavos representandos et colendos destinantur; conc. Aliter nego.

Obj. 3.<sup>o</sup> Adoratio est testificatio excellentiae rei adoratae supra adorantem, seu colentem. Sed crux nullam habet excellentiam supra eam colentes: ergo.

Resp. Dist. *Min.* Nullam excellentiam absolutam; conc. Relativam; neg. Dignificatur enim Crux a Christo, ob cujus respectum colitur.

### THESIS XXXVII.

Utilis ac pia est Sanctorum invocatio.

205. Propositio fide certa constat. Prob. 1.<sup>o</sup> Ex Tridentina Syn. adversus impios protestantes definiente (1). «Mandat Sancta Synodus omnibus episcopis et ceteris docendi munus... sustentibus, ut juxta Catholicae et Apostolicae Ecclesiae usum a primaevis... temporibus receptum, sanctorumque Patrum consensionem, et sacrorum Conciliorum decreta; in primis de Sanctorum intercessionem, invocationem, Reliquiarum honore, et legitimo Imaginum usu fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum atque utile esse suppliciter eos invocare... illos vero, qui negant, Sanctos... invocandos esse, aut qui asserunt... eorum... invocationem esse idololatriam... impie sentire... Ita ut, affirmantes. Sanctorum Reliquiis venerationem atque honorem non deberi; vel eas, aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari atque eorum opis impetrandae causa Sanctorum memorias frustra frequentari, omnino... nunc etiam damnat Ecclesia.»

2.<sup>o</sup> Jacob Angelum Sanctum invocavit, Gen. XLVIII, 16. Praeterea: Deus dixit (2): *Ite ad servum meum Job... Job autem servus meus orabit pro vobis; faciem ejus suscipiam.* Et (3): *Hic est qui multum orat pro populo... Jeremias propheta Dei.* Et (4): *Angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei.* Paulus au-

(1) Ses. 25.—(2) Job. XLII, 8.—(3) II, Machab. XV, 14.—(4) Matth. XVIII, 10.